

De Philosophia Quantali deque Institutione Publica

auctore Stephano Berard, Ph.D.

“Exstat minimum una quæstio philosophica quæ cuiusque hominis acuti animum exercet: illa scilicet cosmologica de mundi natura necnon de nobismet ipsis scientiaque nostra ut mundi partibus.”

—Karolus Popper¹

¹ Popper 1960, pag. 15

Præfatio

Exeunte millennio secundo, animadvertere Latine docentes plures pluresque disciplinæ suæ aridum discipulos multo magis repellere quam allicere; vernacularum linguarum præceptores iam pridem naturæ modum sequi, discentes in colloquia amoena inducere, quattuor facultates, scilicet audiendi loquendi legendi scribendi, æquiperare; Latinam linguam non solum esse instrumentum mundi antiqui scrutandi sed etiam – ecce! – linguam et perennem nec spernendam sed usu perdignam; studia Latina, nisi a somno recenti excitata, sensim moritura. Ad quas res novas movendas edita sunt edunturque novi generis enchiridia vocesque novas suppedantia lexica in annos plura. Crebrescant et Latine sermocinantum conventus, litterarum electronicarum Latinarum situs, confabulatoria Interretalia, operum popularium versiones Latinæ taliaque alia multa ad usum activum, qui dicitur, incitantia.

Quæ omnia, etsi necessaria utilissima laudanda, Latinitatem tamen in statum priorem non restituent. Si enim tantum in paedagogiam intendemus animum, Latinitas sensu tantum manco “perennis” erit; usus meditatus factiusque manebit. Haud quidem ut imperii Romani conditores restaurarentur suadeo; sed tempore litterarum renatarum philosophiæque naturalis modernæ conditæ florentem linguæ Latinæ usum requiro. Quo ævo in Europa docti homines omnes, cum laïci tum clerici, Latine docere, Latine disserere, Latine orare, Latine epistularum commercium habere solebant. Tametsi florescebant simul et litteræ vernaculae, plerasque Europæ partes coniungebat consociabatque sermo unicus. Recentibus quidem sæculis in mundo nunc “Occidentalî” dicto linguæ aliquot barbaræ sunt passim communes factæ: primo atque inter legatos Francogallica, interdum in media Europa Theodisca, in America media australique Hispanica, in imperio Sovietico Russica, hoc temporis in novo imperio commerciali pánkosmio atque in Interrete Anglica sive Angloamericana. Tales autem quarundam gentium linguæ multifariam præpotentes invidiam et odia sæpe mouere. Quales iras post imperii Romani interitum Latine loquentes tantum raro sunt experti. Ævo nostro, cum nullius sit sermo patrius Latinus cumque voces Latinæ iam in omnes fere linguas, et extra Europam natas, migraverint, hæc lingua pro omnium gentium patrimonio communi plerumque habetur. Latine loquentium conventus, etiamsi a multarum terrarum hominibus frequentati, nationum æmulationibus vacare solent. Rixæ raro ortæ semper, quoad scio, philologicæ fuere indolis.

Quodsi ad novum Latinatis renatæ ævum nitendum est, condenda sunt, meo quidem iudicio, litterarum Latinarum monumenta cum vernaculis omnino comparabilia tantique momenti ut non solum Latine doctis arrideant sed etiam Latinitatis impotes allicant, inflamment, convertant. Optimo in casu – si et ferreis, immo, silicaceis temporibus per aspera ad astra contendere adhuc licet – scriptor Latinus aliquis palmam aliquam insignem auferens omnium oculos aliquando in se vertat. Initium parvum eo iam factum est quod nonnulli iam eduntur libri omnino Latine atque interdum de rebus non classicis scripti. Quibus additum opusculum præsens, ut multo magis compendium quam notionum propriarum mearum fons, nullo plane modo “Renascentiam” inducit proximam. Talibus autem lapidibus muniatur via in ea maiora ducens quæ quondam Latine fieri poterunt.

De Latinitate nova concinne instituenda iam data sunt præcepta multa et astuta, quibus ego plura addere non ausim. Tantum in scientia naturali quantum in philosophia exstant iam locutiones complures Latinæ et Græcæ et Græcolatinæ quarum multis, etsi sane “spuris”

dicendis (velut *materialismus* et *reductionisticus* et *dualismus*), ut tamen sensu manifestis iamque in loquela docta usitatissimis, circumlocutiones “puriores” sed mea sententia multo informiores intellectuque longe difficiliores substituere nolui. Scriptoris enim omnis refert imprimis intellegi. Sæpe autem neologismis vocibusque neoscholasticis prisciora facile surrogari potuere, velut *ratio reciproca* sive *reciprocatio* pro “*complementaritas.*” Ante omnia normas a me electas neminem offensuras spero.

Hac in commentatione, ut hominibus, etsi non philosophis naturalibus, doctoribus sollertiaibusque tamen conscripta, haud scio an plura singula suppeditentur quam in plerisque libris physicis laïco publico destinatis inveniri solent. Omnia argumenta licet quam perspicua perlucidaque reddere sim conatus, fieri tamen potest ut sit lectori unum aut alterum caput relegendum. Nihil utique est properandum, nam scientia de qua hic agitur, cuius multæ partes non ante hæc duo decennia modo præterita detectæ, tam nova et insolita est ut etiam maxima ingenia passim obruat. Attamen de mundi cosmique nostri natura physica novissima mirissimaque reperta mente comprehendere operæ esse pretium opinor, neque in hoc lectorem dissensurum reor. Nonnullis in adnotationibus imæ paginae subiunctis scientiæ naturalis peritioribus singula suggesti, quæ sane tranquillo animo neglegant plerique.

Illis doctis hominibus qui versionem primam barbaro sermone scriptam nullisque tabulis figurisve instructam gratias ago, præsertim Paulo Stowell, Radvulfo Dawes, Bruto Unger professoribus. Terentio Tunberg, et studiorum classicorum professori inlustri et oratori Latino dissertissimo, qui verborum Latinorum meorum agmina recensuit, maximas habeo gratias. Editori denique optimo Latinitatisque perennis constanti propugnatori, Gaio Licoppe, qui hunc tractatum non, quod mihi proposueram, ut symbolarum seriem sed potius ut libellum integrum divulgare suasit, coram omnibus gratiam refero.

Stephanus A. Berard
xiv d. m. Novembris anni MMIV
Aquis Albis Vasintoniensibus

Proœmium

Hac in commentatione proponuntur duo: primum, ut superioribus addatur et indicium aliud Latine etiam modernissima tractari posse; deinde, ut philologi Latini – necnon forsan et aliarum disciplinarum præceptores – certiores fiant de repertis scientificis notatu quidem dignissimis quorum autem significatio diu aut ignorata aut, variis de causis, in academiis ac per totum demum cultum civilem nostrum fere neglecta est. Pro axiomatico prorsus habebitur realitatis² naturam compositionemque suppletivo modo, una ex parte per ratiocinationem contemplationemque, altera ex parte per rerum studium experimentale normis certis subiectum, esse pernoscendas.

Quamquam sæculum fere integrum ex eo tempore iam praeterit quo Albertus Einstein, de relativitate speciali et generali theorias introducens, physicæ Newtonianæ amplissimam peregit emendationem, norunt tamen satis pauci, verbi gratia, (i) spatium non esse vacuum universe constans per quod res fluitent; (ii) spatium et tempus – rectius singulo vocabulo “spatitempus” dicenda cum ambo tantum unum, quod est vis, exprimant – in infinitum esse flexibilia; (iii) extare in cosmo loca, velut stellarum neutronicarum³ superficiem, ubi cosmi ætatem multo minorem esse quam illorum 14,000,000,000 fere annorum quorum indicia nos, a Terra nostra prospicientes, sentire videmur; (iv) extare et “loca” intra singularitatum⁴ horizontem eventalem⁵ (sive intra “radium Schwarzschild”) in quibus cosmi nostri totum tempus iam transcucurrit; (v) in planetæ nostri superficie lentius transire tempus quam in aëroplano alte volanti, quod nos (quamvis tantum nanosecundis) metiri posse; (vi) bina quælibet inter se longe distantia nullo prorsus modo “eodem tempore” fieri dici posse sed potius bina inter se distantia spatia tempora- lia ratione mutua obiectiva ita omnino carere ut nulla inveniri possit norma physica qua decerni possit, exempli gratia, quid aliquo momento temporis, ut super Terra definito, astronauta putati- vus super Marte versans faciat; (vii) hominis insuper motus super Terra factos celeritatem tempo- ris aliis in cosmi partibus prætereuntis immutare si ex huius ipsius hominis ratione considerandi temporali respicitur; (viii) talem demum temporis distorsionem relativisticam etiam binorum

²Id quod vulgo et nuperius “realitas” denominatur ea voce antiqua quæ est “veritas” haud bene vertitur; nam vera possunt abstracta esse sive tantummodo ad notiones spectare, cum “realia,” verorum subclassis, ea vera sint quæ, ita ut definiuntur, corporaliter exprimantur vel tantum per rerum naturam “physicam” dictam reperiri possint. Verbi gratia, quia “iustitia” notio abstracta est neque in ipsa corporum dispositione invenitur, “puncta informatio- nalia,” quæ moderne et semiotice dicuntur, proprie ad iustitiam spectantia sunt aut “vera” aut “falsa” denominanda. Quia autem “motus” notio imprimis, sc. nisi sensu translatu intellecta, corporalis est, puncta informationalia ad motum proprie spectantia possunt vocari, hac ex parte, (abstracte) “vera” vel (corporaliter) “realia” aut, altera ex parte, (abstracte) “falsa” vel et (corporaliter) “irrealia.” Hoc discrimen tantum utilitatis causa observatur nec quicquam attinet ad “dualismi” quæstionem philosophicam. Immo, hoc in tractatu agetur crebro de sententiis “holisticis” dictis secundam quas nihil vel parum inter notiones et res corporales interest. Nihilominus sermonis humani est omnia argumenta, etiam ea quæ vana speciosave fuerint, describere. Et species pro inanibus habitæ verbis sane sunt describendæ, etiamsi tantum ut proprietates vel discrimina earum tandem vacua esse demonstrentur.

³ “Stella neutronica” est stella tantum ex neutroniis (particulis subatomicis gravioribus) constans.

⁴ “Singularitas” est foramen nigrum mathematice descriptum.

⁵ “Horizon eventalis” est foraminis nigri finis sphaericus ex quo nec materia nec radiatio ulla effugere valet.

Huius Tractatus Dispositio Generalis

Præfatio	3
Proœmium	5
I. De Experimentorum Eventibus Horumque Interpretationibus Scientalibus Praecipuis	
A. De Experimentorum Eventibus	
1. De Repugnantia, Reciprocatione, Ambiguitate Quantalibus	15
2. De Implicatione Quantali Localitatisque Defectu	30
3. De Hypersymmetria et Symmetria Temporali	34
B. De Interpretationibus Scientalibus Praecipuis	
1. De Interpretationibus Hauniensibus	55
2. Interpretationibus Transactionalibus	61
3. De Interpretationibus secundum Vndam Gubernatoriam	69
II. De Interpretationibus Philosophicis Praecipuis	
A. De Reductionismo	
1. Consideranda Historica Aliquot	77
2. De Reductionismo Materialistico Scientali Moderno	83
3. De Mentalismo Moderno	94
B. De Holismo	99
Conclusio: Ad Institutionem Publicam Pertinentes Significationes Quantales Aliquot	108
Vocabulorum Index	113
Opera Prolata	118